

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

esse. Ad cuius incolumitatem plurimum facit sanctus & amabilis fratrum consensus, quorum opera, studio, & auctoritate reprimi quantumlibet versuti & violenti turbatorum conatus poterunt. Nec parum conducet superstitis & restituti vobis Mülhemii vigilantia fides & auctoritas, quem video in hoc esse totum, ut caveatur, ne quid detrimenti capiat Respubl. scholastica. Singulari porrò voluptate accipio, te valetudine uti non incommoda. Nec dubito, hoc præcibus datum Ecclesiæ, quàm certum est, tuam incolumitatem, sicut par erat, enixè orasse. Quod repetitum conjugium meum faustis votis prosequeris, magnam habeo gratiam, & spero DEI beneficio obvenisse, quod unicè spectavi, quæ meo esset ministerio accommoda. Agit & illa unà mecum. Gratias tibi pro *zamlia* ad nos misso. Atque utinam sit, quò compensare tua in nos beneficia queamus uterque. Curavimus denuò, ut butyrum habeamus ad Autumnum, quod nos & præstantius & vilioire precio habituros esse confidimus, quam anno exacto. Filios tuos & meos audio incolumes esse. Verum quod de illis tuum sit consilium nescio, posteaquam adhuc eos in schola Tubingensi harere intelligo. In Belgico morus esse audimus, eoque nomine in vicinia miles conscribitur, qui Albano militet. Atque hæc jam Turcis optata sunt studia. De Ecclesiis Germanicis nihil accipimus, sicut nec de Gallicis. Tu si quid habes, rogo, significa. Et bene vale in Christo Jesu, eum uxore totaque familia, symmiltis item fratribus. Scripsi Basileæ, 27. Junii, Anno 1572.

Tuus ex animo frater

Simon Sulcerus, D.

CIX.

Salutem in Domino.

SI tam diuturnum silentium, & tot prætermittas occasiones condonare mihi potestis, ut id faciatis oro; si causam postulatis me dicere, fortasse inventionem aliquam. Sed tamen, ut verum fatear, dum tempus capto à ceteris negotiis liberius, quo de omnibus rebus copiosius scribam, interim vos a me nec pauca accipitis. Sturmianum negotium in eo jam agitur, ut illi respondeant, h. e. ut mentiantur & calumnientur. Quod fortasse epulum nonnullis gratius erit Acerba illa & Marbachiana veritate. De summa rei, ita me CHRISTUS meus amet, quotidie melius spero, non quod præsidia ostendantur periclitanti veritati, sed quia nunquam præsentius DEI est auxilium, quàm quando humanum est desperatum. Credo ego, vos ex Heri literis cognovisse ejus somnium, quod ego non somnium interpretor, qualia fallaci ludant temeraria

Hhh 3

raria

raria nocte, sed divinitus oblatum visum, ad confirmandos atque erigendos. Proximo Conventu G. lio publica Lectio Organi, & extraordinaria Physicæ commendata est: Boschius in primam curiam traductus, Junius in secundam, cui M. Johannes Benzius, puto, succedet, qui Theodosii corrector fuit; literatus homo, & credo pius; Etiam de Disputationibus & Declamationibus actum, quas volunt esse menstruas, hoc pacto. Primo Sabbatho proponentur Themata & explicabuntur à Præside copiosius; altero & tertio discutientur: quarto habebitur Declamatio. Declamationibus præfati sunt Sturmius, Eithræus, Golius & duarum curiarum præfati. Hæc quomodo cum Academicis conveniant epistolis, facillè intelligitis: illud inprimis de duplicandis Professoribus, non tamen aucto Professorum numero. Ita enim Giphanius & Golius in Ethicis, & Golius atque Planerus in organo non tantum laborabunt, quantum ante hac solus vel Giphanius, vel Planerus. Quid quæritis? Hærent Nestoriani & sua patefacta consilia dolent, quæ ne vera esse existimantur, aliis stultioribus tegere ea atque occultare conantur. Sed patientia opus est aliquanti temporis. Ipsum profecto tempus hos conatus refutabit.

De Illyrico scitis interrogatos esse Diaconos, triduo post Pastores etiam vocati sunt, Conradus & ego. Eadem actio, eadem consilia, idem de silentio. Ego ita judico: qui ad Magistratum hæc detulerunt, non Illyrico, sed Marbachio periculum creare voluerunt. Proximo Conventu postulata sunt omnia acta eorum annorum, quibus hic fuit Illyricus; ejus quoque qui præcessit. Iniqua petitio, sediis tamen, quorum recta conscientia, non repudianda. Acceperunt, inspiciunt, considerant; reperient multa, quæ nollent, pauca aut nulla, quorum justa sit futura repræhensio. Sed idem tamen ab Illyrico postulatum est, qui quid præstiterit, ignoramus, versari tamen eum in magno periculo confirmat Mülhemius. Nuper cothurnum ad nos misit, juxta quem Concordiam velit institui. Abjicit substantiam, sed retinet Essentiales vires. Itaque est repudiatus. Ex Belgio varia nunciatur, sed quàm vera, posthac viderimus. Hic Dn. Laurentius officium suum resignavit, cui succedit Lipticius: tametsi exempli gratia aliqui jussi sunt in ea Paræcia concionaturi, quasi libera essent futura comitia. Ignoscitis festinationi, qua sæpe utor. Tibi, M. Erasme, pro Disputatione ago gratias, tibi, M. Philippe, ut cum majestate pro majestate respondeas opto, vel potius ita te futurum scio. Valere, Argentorato, Non. Julii, 72.

Vester

Johannes Pappus.

CX.